

EASTER VIGIL, Resp. Psalm after 2nd Reading

344 Dominica Paschæ in Resurrectione Domini

illi: « Tolle filium tuum unigénitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visiónis, atque ibi ófferes eum in holocáustum super unum móntium, quem monstrávero tibi ».

Et venérunt ad locum, quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, et désuper ligna compósuit. Extendítque manum et arrípuit gládium, ut immoláret filium suum.

Et ecce Angelus Dómini de cælo clamávit dicens: « Abraham, Abraham ». Qui respóndit: « Adsum ». Dixítque ei: « Non exténdas manum tuam super púerum, neque fácas illi quidquam: nunc cognóvi quod times Deum, et non pepercísti unigénito filio tuo propter me ». Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem córnibus, quem assúmens óbtulit holocáustum pro filio.

Vocávit autem Angelus Dómini Abraham secúndo de cælo dicens: « Per memetípsum iurávi, dicit Dóminus: quia fecísti hanc rem et non pepercísti filio tuo unigénito propter me, benedíciam tibi et multiplicábo semen tuum sicut stellas cæli et velut arénam, quæ est in líttore maris; possidébit semen tuum portas inimicorum suórum, et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obœdísti voci meæ ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 15, 5 et 8. 9-10. 11 (R.: 1)

R. Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:

tu es qui détines sortem meam.

8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. R.